



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXXVIII. Judæi frustra Christum student comprehendere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

justum Judicium judecate. v. 24. Omne enim Judicium, quod tantum est secundum faciem, seu externam quandam apparentiam, & quod non est secundum sufficientem evidentiam, in genere moris, quando est in præjudicium debitæ de Proximo existimationis & honoris, temerarium, adeoque injustum est. Itaque noli judicare secundum faciem; sive enim judicium verum, sive falsum sit, injustum est. Sed potius vel suspende tuum assensum, vel bene de Proximo sentias, & in bonam partem ejus actiones trahas, ut justum judicium judices. Ausculta S. Bernardo Serm. 40. in Cant. dicenti: *Cave alienæ conversationis esse aut curiosas explorator, aut temerarius index. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic judices Proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicio apud temeripsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?*

MEDITATIO CCCXXXVIII.

Judai frustra Christum student comprehendere Joan. 7. v. 32.

PUNCTUM I. Miserunt Principes & Pharisæi Ministros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis JESVS: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me (scilicet ad Patrem Cœlestem per mortem, post sex menses mihi inferendam; totidem enim mensibus à Festo Tabernaculorum, quod Septembri per

S

Octo

octo dies celebrabatur , distabat ultimum Pascha, in Martium incidens, quo Christus erat crucifigendus) *Quæretis me, & non invenietis* (quia ex Sepulchro, ubi me deponetis post Mortem, Vivus resurgam) *Ego sum* (nunc per Divinitatem meam , tunc autem etiam per Humanitatem , quâ in Cælum ascendam) *vos non potestis venire.* Joan. 7. v. 32. Considera, quod, cùm durante Tabernaculorum Festo Christus coram conferta multitudine se Filium DEI multis verbis & Signis contestatus esset , & Pharisæis suam incredulitatem palam exprobrâsset, isti odio & invidiâ propter applausum plurium ei credentium , eûmque sequentium flagrantes , miserint Ministros, ut apprehenderent illum : Ipse verò, non obstante tam hostili voluntate , ingratitudine , & incredulitate , edocuerit Ministros , & his mediantibus eos , qui miserunt, de præcipuis Fidei mysterijs, scilicet de Morte, Resurrectione , & Ascensione sua in Cælum , brevi futuris. Quamvis autem obscurè fuerit locutus , (unde non intelligentes Dixerunt Iudei ad semetipos : quò hic iurus est , quia non inveniemus eum ? Nunquid in dispersionem Gentium iuris est , & docturus Gentes ? Quis est hic sermo , quem dixit : *Quæretis me, & non invenietis : & ubi Ego sum , vos non potestis venire?*) facile tamen potuissent petere ulteriore declarationem , si non apud semetipos tantum verborum sensum perquirere voluissent. Unde patet , quanta Charitate , & quam constanti Zelo Christus etiam inimicorum , & ingratiorum , ac ex sua instructione nihil proficientium hominum Salutem procuraverit ; ne & tu ulla hujusmodi ratione in cura Animarum , & Charitate Proximate impediri sineres. Patet etiam , quomodo in dubiis non

non nos met ipsos, sed alios Sapientiores consulere debeamus; & quomodo Deus subinde det auxilia Gratiae actualis, quasi inchoata, ac imperfecta, ut ea in nobis perfici curemus. Denique illis verbis Christi: *Modicum tempus vobiscum sum: Et vado ad eum, qui misit me: ad cogitandam vitæ tuæ brevitatem, & desiderandam, ac adeundam Cælestem Patriam, temet ex-cita.*

PUNCT. II. *In novissimo autem die magno Festivitatibus* (scilicet octavo Scenopegiæ, sive Festi Tabernaculorum, qui celeberrimus erat Judæis) stabat IESVS, & clamabat: *Si quis sit in me, veniat ad me, et bibat.* Joan. 7. v. 37. Audi itaque Christum, Festis præcipue diebus te invitantem ad bibendum ejus Eucharisticum Sanguinem. Restingue sitim tuæ Salutis, & Iustitiae, hauriendo de Fontibus Salvatoris Aquam Vivam Gratiae Sanctificantis, tibi per Vulnera & Merita Christi in eorum Meditatione, Veneratione, Invocatione, applicatione, ac cooperatione propinandam, & diffundendam in corde tuo.

PUNCT. III. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura* (non iisdem verbis, sed parentibus eundem sensum, passim promittens Gratiam, & Dona Spiritus Sancti sub fontium & fluminum metaphora) *flumina de ventre ejus fluent Aqua Viva.* Joan. 7. v. 38. Id est, de corde ejus redundabit Aqua Viva Gratiae & Donorum Spiritus Sancti, sive cum magna abundantia in corde diffundetur. Unde Joël c. 2. v. 28. vaticinans dixit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, etc. Sed et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Et Isa. c. 44. v. 3. *Effundam enim Aquas super sitientem, et fluenter super aridam: effundam Spiritum meum*

276 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,
meum super semen tuum, & Benedictionem meam super sim-
pem tuam. Fides autem in Christum, cui tantus afflu-
xus Gratiarum promittitur, debet per Charitatem
operari, & impellere ad vitam, Christi Doctrinam
omnino conformandam, ne sit talis, sicut eorum
qui (ut S. Paulus Tit. 1. v. 16. ait) *confidentur, se nobis*
DEVIM, factis autem negant. Considera etiam, tunc
verè impleri id, quod Christus his verbis promisit:
Flumina de Ventre ejus fluent Aquæ Vive: quando ex re-
dundantia cordis nostri Cœlestis Gratiæ affluentiam
etiam in Proximum derivamus.

M E D I T A T I O CCCXXXIX.

Christus Adultera peccata condonat.

Joan. 8. v. 1.

PUNCTUM I. IESVS autem perrexit in montem Oliveti
& diluculo iterum venit in Templum. Sic quærendum
quietum ac opportunum tempus, & locus ad Oratio-
nem devotè, attentè, & absque distractionibus per-
gendam; si que per diem alijs officijs Charitatis, ne-
gotiisque necessarijs fuit impedita, nocte supplenda
est, ut cubitum non concedas, præscripto Orationis
penso non persoluto. Christus eundem montem Ol-
veti primò Devotionis & Orationis lacrymis, deinde
Sudore Sanguineo perfudit, denique ex eodem *Ara-*
nam Gloriam adivit. Sic orando, & patiendo
Cœlestem Gloriam pervenitur; Oratio enim Patien-
tiam, Patientia Gloriam consequitur.

PUNCT. II. Et diluculo iterum venit ad Templum, &
omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. V. 2. F.